



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

VIII. Ercha[n]baldus seu Ercha[n]boldus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Episcopi Gerhoch, Aganus, Adalunc, Altune, Otker centum annos uiuendo (in Episcopatu scilicet) compleuerunt; non singuli, sed omnes simul.

VII. Godeschalcus.

Septimus Ecclesiam Gotescale procurat eandem.

Sedit annos tres. Obiit anno Saluatoris DCCC. LXXII. II. Idus Nouembris (ita habet Pontificale) hoc est, pridie Idus seu XII. Nouembris. Meminit eiusdem Epitomator Philippi.

VIII. Erchanboldus seu Erchanboldus.

Est Erchanboldus octauus in ordine magnus.

Qui cathedram Episcopalem tenuit annos XXI. Ita enim tradit Pontificale, tamen alij Episcopatu eius pauciores annos assignant. Mortuus anno Domini DCCCC. II. XIII. Kalend. Octobris, hoc est, XIX. die Septembris. Est hic Erchanboldus ille, cuius iussu Wolfardus Hasenrietanus quatuor libris res gestas & miracula S. Walpurgis complexus est; ut patet ex præfatione Wolfardi, quam ad Erchéboldum operi suo præfixit, quemadmodum videre est Tom. I V. Antiq. Lect. Doct. Canisij. Ad eundem Præsulem est eiusdem Wolfardi proœmium in librum tertium.

Sub hoc Episcopo translata est pars Reliquiarum S. Walpurgæ Eychstadio ad Monasterium Monheimse cui Liubila, seu Lioba Abbatissa præerat; quæ ut aliquid de Reliquiis S. Walpurgæ nancisceretur enixissime petebat. Cui annuens Erchenboldus partem concessit, per quam postea Deus ea miracula patrauit, quæ soluta oratione Wolfardus & rhythmis Me-

d bar-

dibardus quatuor libris comprehendit. Ita ergo de hac translatione Wolffardus.

* Mausoleum.
 Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi octingentesimo nonagesimo tertio, indictione tertia, regnante felici prosperitate Arnulfo serenissimo rege, apertum est * mausoleum B. VValpurgis Virginis in basilica, in qua locata fuerat tempore Ockarij Episcopi. Mittens igitur prudentissimus ac sagacissimus in omnibus negotiis Erchenboldus Episcopus, religiosos Archipresbyteros, cum aliis boni meriti suos, ossa dicata sacra Virginis iussit exquiri, & inuenta diligenter attritari, summaque cum reuerentiapartitavecondi, ita ut optate diu reliquia darentur Liubila, & thesaurus eiusdem corporis per secula sua seruaretur Ecclesia; iidemque ad quos iussio peruenit Antistitis, eandem ocys, licet simplici, corde, titubantes accelerare curarunt. Cumque se totos dominica miserationi committerent, & in psalmis & hymnis sine cessatione persisterent, fodientes inuenerunt cineres amplectendos beata matris nostre VValpurgis, quasi lympham tenui madefactos, ut quasi guttatim ab eis roris stilla extorqueri valerent. Qui licet tanta essent humiditate referti, nec puluisculus tamen manibus contrectantium quoquo pacto valuit adherere. Sublata demum pro qualitate incomparabilis thesauri desiderantissima portione, reliquum loco restituerunt suo. Quis vero maeror, quaeue angoris tristitia Eistattenses inuaderet ciues, cum tanta pignora partirentur, putantium dominam VValpurgam sibi penitus ablatam, qui verum agnoscit, ut veritas poscit, verissimus fateatur. Haec Wolffardus, sequentia Anonymus Hasenrietanus. Inter innumera pietatis & virtutis opera Erchenboldus patriam nostram, Hasensem Abbatiam, tunc Fuldensem, Elenuuangensem & Derensem Abbatibus iure & diuitiis equalem, S. Villibaldo acquisiuit; sed tamen non totam; Arnulphus quippe tunc temporis princeps, eandem

dem Abbatiam precibus & seruitio predicti Antistitis deuictus, oblati prius regalibus circa Rhenum curtibus, in quibus & Thusburg, cum omnibus suis pertinentiis, ad Eystattensem Episcopatum regali donatione tradidit, & chirographo aureis literis inscripto stabilivit. His ita peractis prudens Episcopus eiectis Monachis canonicos ibi fecit, eorumque prebendam paucis ex redditibus instituit, ceteris tum sibi retentis, tum militia distribuit. Tunc primum Aureacensis Episcopatus * milites habere coepit, cum antea aut nullum, aut per paucos habuisset. Nam hodieque ex tanta Aureacensis militia multitudinem tribus tantum seu quatuor exceptis, ceteri omnes beneficiati sunt ex huius Abbatia bonis.

* nobiles Casallos, feudatarios.

Interfuit & subscripsit Erchanbaldus Concilio Triburiensi, quod celebratum est sub Arnulpho Imperatore anno salutis DCCC. XCV.

Parum porro interest, siue Erchenbaldum siue Erchenboldum scribas: utraque enim scriptura vsitata est; nec diuersum hominem facit; & frustra sunt, qui Williboldum à Willibaldo, & Wuniboldum à Wunibaldo discriminant, & S. Bonifacii comitatum & societatem nouis comitibus & sociis augent. Quoties in istis Germanicis vocabulis mutatur a in o. ut Reginaldus, Reginoldus, Reinaldus, Reinoldus, Arnaldus, Arnoldus, & similia? neque vlla certa scribendi ratio in his Anglicis, Saxonis, & Alamannicis vocabulis obseruatur, ut videre licet tam in impressis, quam in calamo exaratis codicibus.

IX. Vdalfridus seu Vlfridus.

Ecce potestatem capit Vdalfridus eandem.

Sedit annos XXXI. obiit Kalendis Ianuarij, anno Redemptoris DCCCC. XXXIII. Cæsaribus Ludouic.

Hh

co